S. Miramur hic omnes ut viuas, quae conditio tua, certo sis abiturus
Viennam, an abiturus sis? Hoc ego scribo. Erasmum literas tuas accepisse
animo gratiss. neque parum commendasse elegantiam stili. atque respondis-
se, tametsi prius te non nouerit, effecturum tamen, ut intelligas ami-
citiam inter nos hisce literis inchoatam. Quod nihil rescripsit, fecit
repentina eius abitio a Basilea. Epistolium quod ad me dedit,
Et iam prodiit, in fine sic habet. Nos hinc pestis abigit, cui
maximam malam pestem imputo. Unde manifestum, non tantum tempo-
ris suppetiisse, ut rescriberet. Fuit hic Xilotecti nostri nomine
Curtius quidam, qui Molam eius habebat, portaturusque erat Basile:
ut demum imprimatur. Voluit Xilotectus rem prius abs te pro-
batam, atque molam honestatam epigrammate. Sed alter noluit ma-
nere. quonsque ad te de hac re aliquid scribere posse, quamobrem nescio,
an esset serius factum, si hodie aliquid huiusmodi abs te huc
mitteretur. Erasmus scripsit encomium Matrimonii, et
Medicinae. Si hic inuenisse, misisse ad te. Spero autem me
propediem habiturum. Tum autem et in urbibus. Fac quam breuiss:
intelligamus de rebus tuis omnibus. Grebel: nondum ex
thermis redijt. Vale Tiguri ex mensa decimo sept: Kl
Octobris Anno M.D.XVIII.

Osualdus Lucernanus
tuus.

Ad Doctiss: Ioachimũ
Vadianũ Medicinæ Doctorẽ,
Poëta laureatũ, & oratorẽ
clariss. amicũ suũ opt:

Apud Sanctũ Gallũ.